



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Sessio I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

ANNO  
CHRISTI  
1512. meritis, & diuini spiritus ductu, quibus iunctim hodie sa-  
cra fiunt, ablui potius ab omnibus conceptis maculis, &  
in antiquum splendorem munditiamque restitui.

*Dixi.*

Habita fuit oratio in æde Lateranensi quinto Nonas  
Maias 1512.

### SESSIO I.

**D**IE Lunæ decima mensis Maii, anno, indictione &  
pontificatu, de quibus supra, congregata fuit sacra &  
vniuersalis Synodus in basilica Lateranensi, præsidente  
præfato sanctissimo domino nostro Iulio, celebrata Missa  
de Spiritu sancto per reuerendissimum in Christo patrem  
dominum Dominicum episcopum Portuensem, cardina-  
lem Grimanum, seu sancti Marci vulgariter nuncupatum:  
habitus sermo per reuerendum patrem dominum Bernar-  
dinum archiepiscopum Spalatensem. Interfuere infra scri-  
pti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archi-  
episcopi, episcopi, abbates, magistri generales ordinum,  
oratores principum, & alii illusterrimi domini, videlicet:

#### *Episcopi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.  
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.  
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.  
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

#### *Presbyteri cardinales.*

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in monti-  
bus, Strigonensis.  
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Flisco.  
Reuerendissimus dominus Robertus tituli sanctæ Anastasiæ, Nanne-  
tensis.  
Reuerendissimus dominus Christophorus tituli sanctæ Praxedis,  
Anglicus.  
Reuerendissimus dominus Antonius tituli sancti Vitalis, Siponti-  
nus.  
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii Anconita-  
nus.  
Reuerendissimus dominus Achilles tituli sancti Sixti, Bononiensis.  
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli sanctæ Sabinæ, de  
Saulis.

*Concil. Tom. 34.*

O ij

108 JULIVS C. LATERANENSIS V. MAXIMILIANVS I.  
P. II. IMP.

*Diaconi cardinales.*

ANNO  
CHRISTI  
1512.

Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii, Farnesius.  
Reuerendissimus dominus Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin,  
de Aragonia.  
Reuerendissimus dominus Alphonsus sancti Theodori, Senensis.

*Patriarchæ & assistentes pape.*

Reuerendus pater dominus Cæsar Alexandrinus.  
Reuerendus pater dominus Alphonsus Antiochenus.  
Reuerendus pater dominus Stephanus Patracensis & Torcellanensis.  
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Iadrensis.  
Reuerendus pater dominus Federicus Salernitanus.  
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachiensis.  
Reuerendus pater dominus Orlandus Nazarenus.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Vincentinus.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Sueßanus.  
Reuerendus pater dominus Julianus Agrigentinus.  
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Caietanus.  
Reuerendus pater dominus Laurentius Asculanus episcopus, vice-  
camerarius & gubernator Vrbis.

*Archiepiscopi.*

Reuerendus pater dominus Franciscus Consanus.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Iacobus Barensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senensis.  
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicosiensis.  
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatensis.  
Reuerendus pater dominus Antonius Auenionensis.  
Reuerendus pater dominus Hieronymus Antimariensis.  
Reuerendus pater dominus Mauricius Tuanensis.  
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranensis.  
Reuerendus pater dominus Andreas Noboniasiensis.

*Episcopi.*

Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.  
Reuerendus pater dominus Iosue Esculanus.  
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Caualicensis.  
Reuerendus pater dominus Galasius Bellunensis.  
Reuerendus pater dominus Albertinus Pisauriensis.  
Reuerendus pater dominus Octavianus Viterbiensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenensis.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Ortanus.  
Reuerendus pater dominus Latinus Vestanus.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.

ANNO CHRISTI 1512.  
Reuerendus pater dominus Galasius Sarinatenis.  
Reuerendus pater dominus Iacobus Signinus.  
Reuerendus pater dominus Altobellus Polensis.  
Reuerendus pater dominus Andreas Miletensis.  
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphensis.  
Reuerendus pater dominus Simon Ariminensis.  
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruisinus.  
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricensis.  
Reuerendus pater dominus Thomas Ceruiensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Marianensis.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Milopotamienis.  
Reuerendus pater dominus Raphael Crapitanensis.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Bisignianensis.  
Reuerendus pater dominus Matthaeus Vmbriatinensis.  
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Balneoregiensis.  
Reuerendus pater dominus Petrus Algarensis.  
Reuerendus pater dominus Benedictus Chiensis.  
Reuerendus pater dominus Bernardinus Castrensis.  
Reuerendus pater dominus Petrus Castelli maris.  
Reuerendus pater dominus Aloysius Interamnenis.  
Reuerendus pater dominus Guilhelmus Cortonensis.  
Reuerendus pater dominus Nicolaus Neocastrensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Tudensis.  
Reuerendus pater dominus Vincentius Launensis.  
Reuerendus pater dominus Michael Monopolitanus.  
Reuerendus pater dominus Dominicus Aquensis.  
Reuerendus pater dominus Gisbertus Rapollanus.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Bouinenis.  
Reuerendus pater dominus Georgius Callienis.  
Reuerendus pater dominus Ludouicus Signensis.  
Reuerendus pater dominus Iacobus Maricanus.  
Reuerendus pater dominus Lambertus Venusinus.  
Reuerendus pater dominus Simon Modrusiensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonensis.  
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinenis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciscus Nolanus.  
Reuerendus pater dominus Corradus Astunensis.  
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinensis.  
Reuerendus pater dominus Michael Mordanensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Arianensis.  
Reuerendus pater dominus Hugolinus Liciensis.  
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.  
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretnus.  
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.  
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.

IIO IVLIVS C. LATERANEN. V. MAXIMILIANVS I.  
P. II. IMP.

ANNO  
CHRISTI  
1514

*Abbates.*

Reuerendus pater dominus Antonius abbas monasterii sancti Galgani ordinis Cisterciensis Vulteranensis diœcesis.

Reuerendus pater dominus Floremondus abbas monasterii sancti Georgii de Vrbe, ordinis sancti Benedicti.

*Magistri generales ordinum.*

Magister Thomas generalis ordinis Prædicatorum.

Magister Demetrius ordinis Minorum vicarius.

Magister Ægidius generalis ordinis eremitarum sancti Augustini.

Magister Bernardus vicarius ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

*Senator Vrbis.*

Magnificus dominus Petrus de Starcelupis Florentinus.

*Oratores.*

Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis & reginæ Hispaniarum.

Magnificus dominus Franciscus Foscarus eques, orator serenissimi & illustrissimi dominii Venetorum.

Magnificus dominus Antonius de Strozis, orator Florentinorum.

*Illusterrimi domini temporales.*

Illusterrimus dominus Iulius de Vrsinis.

Illusterrimus dominus Marcus Antonius de Columna.

Illusterrimus dominus Nicolaus de Ruuere.

Illusterrimus dominus Franciottus de Vrsinis.

Dominus Fabricius de Careto, procurator ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani.

Dominus Sixtus de Ruuere prior Vrbis, miles ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani.

Dominus Petrus Grimanus prior de Hungaria, miles ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani.

Deinde præsentibus supradictis, & aliis doctoribus & magistris, cantatisque litanis & aliis orationibus cum genuflexionibus, benedictaque Synodo per sanctissimum dominum nostrum iuxta morem & laudabilem consuetudinem in sacris Conciliis seruari solitam, & quampluribus deuotis orationibus, ac cantato euangeliō per reuerendissimum dominum Ludouicum sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem de Aragonia, quod incipit: *Ego sum pastor bonus*: idem dominus noster Iulius papa habuit orationem, sumpto themate: Conuenistis in vnum, patres, &c.

*Ioan. 10.*

ANNO  
CHRISTI  
1512. Et allocutus est Synodus, exhortans omnes ad meditandum & solerter insistendum super ordinandis, quæ ad ecclesiæ pacem & statum pertinent, ac schismatis extinctionem, & dictæ ecclesiæ reformationem, ac contra infideles per Christianos principes expeditionem, pacemque inter eos componendam. Facta itaque exhortatione magna cum grauitate & caritate, quibus Romanū pontificem decebat, idem sanctissimus dominus noster incepit hymnum, Veni creator spiritus, &c. Quo absoluto per cantores, reverendissimus dominus Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis, de Farnesio vulgariter nuncupatus, stans in thalamo eminenti iuxta locum, vbi præfatus sanctissimus dominus noster sedebat, alta & intelligibili voce legit quamdam schedulam, cuius tenor est talis.

*Schedula prima.*

Bulla indictionis sacri generalis Concilii Lateranensis.

*Julius episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram  
rei memoriam.*

INTENDENTES executioni eorum quæ anno præterito & præsenti pro celebratione generalis Concilii in hac Lateranensi basilica tenendi, & proximis diebus inchoati, per nostras intimationis & prorogationis literas denuntiari & perulgari fecimus, quarum tenor subsequitur, videlicet:

*Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ martyrum sanguine consecratæ, magistræ fidei, veritatis alumnae, omnium errorum expertis, vnicæ & immaculatae, diuina institutione, sanctorum auctoritatibus Conciliorum, Canonumque omnium testimonio, ecclesiarum cunctarum primatum tenentis, fidelium matris, regimini superna dispositio ne præsidentes, circa religionis Christianæ puritatem, ipsiusque unitatem, pacem & tranquillitatem, quæ in coniunctione membrorum ad unum caput, Christum videlicet, cuius vices in terris gerimus, principaliter tendit, divisionem ouilis nobis ex alto commissi, in illoque schisma, per quod ecclesia scindi & scandalizari, gressus domini-

cus nobis creditus turbari quoquo modo possit, quantum  
cum Deo possumus, prohibentes, ac damna & scandala  
quæ exinde euenire possent, eneruantes, ac palmites futu-  
ros infructuosos succidere, & quoscumque aliter quam  
per ostium ad ouile ingredi cupientes, ac a via Domini, post-  
quam illam semel cognouerant, retrocedentes, ad semitam  
veritatis reducere, vulpeculasque ex vinea eiusdem Domini  
per ministerium summi apostolatus etiam expellere de-  
siderates, de opportuæ prouisionis remedio prouidemus,  
aliaque ordinamus & mandamus, prout conspicimus in  
Domino salubriter expedire. Sane non sine graui animi no-  
stri molestia percepimus, quod quidam sanctæ Romanæ ec-  
clesiæ cardinales qui nobiscum, dum versus ciuitatem no-  
stram Bononiensem pro recuperatione nonnullarū terra-  
rum sanctæ Romanæ ecclesiæ etiam vna cum nostra curia  
personaliter accederemus, pro recuperandis terris huius-  
modi venire simulauerant, ex nostra licentia ab urbe rece-  
dentes, Florentiam diuerterunt, ibique se continuerunt, e-  
tiam postquam nos eos per dilectum filium nostrum Fran-  
ciscum tituli sancti Clementis presbyterum cardinalem,  
tunc in minoribus constitutum episcopum Concordien-  
sem datarium nostrum, ac per literas nostras ad nos tunc  
Bononiæ existentes, vocari feceramus; licet se venturos ob-  
tulissent, nihilo minus fatore zizaniæ seminante, per quem  
morum subuersio in clero & populo frequenter obrepit,  
tamquam membra infana sine causa legitima a suo capite  
recedentes, armis satellitibusque stipati, imo in seipso ar-  
mis assumptis, & pro sacerdotalibus vestibus thoracem in-  
duti, & gladiis armati, Papiam se contulerunt. Quo cum  
peruenissent, stimulo conscientiæ, ut credimus, agitati, per  
internuntios, perque regiorum oratorum intercessiones  
reditum ad nos postularunt, & pro desertionis venia sup-  
plicarunt, quam benigne obtulimus. Sed ipsi qui nobis ex  
officio tamquam consultores afflistere, neque sine licentia  
nobis & nostræ curiæ veluti corporis membra abesse de-  
buisserent, ausi tamen sunt os in cælum,\* & spiritum blasphe-  
miaæ, & cum Lucifero sedem ad Aquilonem ponere, altitu-  
dinem nubium transcendere, vt se similes Altissimo consti-  
tuant, pontificalem auctoritatem nostram sibi ipsis adscri-  
bere satagentes, conuenientes vt locustæ acephali, aggressi  
funt

\* ad  
spiritum  
blasphemie  
mix,

ANNO CHRISTI  
1512. sunt sine Romani pontificis auctoritate oecumenicū gene-  
rale atque vniuersale Concilium conuocare, locum Conci-  
lii & tempus indicere, & valuis ecclesiarum ac aliis publicis  
locis per publica instrumenta etiam falsa indictionem hu-  
iusmodi affigere & publicare, eisdemque instrumentis falsis  
publice atque impudenter vti, quosdam sanctae Romanæ  
ecclesiæ cardinales sui propositi socios in eorum prætenso  
edicto falso declarando, qui tamen & publicis & priuatis  
scripturis eorū propriis manibus scriptis, se illis in huiusmo-  
di proposito, neque verbo, neque scripto vnuquam iunxisse,  
seu quomodolibet consensisse protestati sunt, nosque ac ve-  
nerabiles fratres nostros eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ  
cardinales ac alios tunç expressos, vocare & requirere, vt  
per nos vel alios ad huiusmodi eorum Concilium accedere  
vellemus, non formidarunt, afferentes decennium post ul-  
timum vniuersale Concilium, etiam contra constitutionē  
Concilii Constantiensis quæ incipit, Frequens, iam dudum  
effluxisse, & nos illud conuocare neglexisse, maxime cum  
iurauissimus & vouissemus illud post bienniū a creatione  
nostra tenere, tempusque pro homine interpellare, neque  
credendum fore, nostra auctoritate & voluntate Conciliū  
futurum: & cum de grauibus criminibus notoriis duranti-  
bus, vniuersalem ecclesiam scandalizantibus in capite a-  
gendum foret, ad summum pontificem Concilii congrega-  
tionem non attinere, sed secundo loco ad cardinales, qui  
pontifici in negligentia non adhaerunt, conuocationem  
Concilii spectare. Ac vt huiusmodi eorum conuocationem  
& conuenticulū honestare viderentur, eisque auctoritatē  
adiicere, hoc idem fere per omnia, per quosdam assertos  
procuratores carissimorum in Christo filiorum nostrorum  
Maximiliani Romanorum imperatoris electi, & Ludouici  
Francorum regis Christianissimi, principum, sub eisdem da-  
tis, modo & forma, & similibus schedulis, præter tamen vo-  
luntatem & mentem dictorum principum, vt rationabiliter  
credi debet, fieri & publicari procurauerunt & ordinaue-  
runt. Sed hæc vt falsa, ficta commentitiaque sunt, & non ex  
zelo caritatis & religionis, sed odii fomite & inimicitia pro-  
cedentia; ita omnibus principibus, nec non Christi fidelibus  
cupimus nota fieri. Quis enim tanti erroris particeps est, qui  
nos de negligentia erga conuocationē Concilii redarguere

Concil. Tom. 34.

P

possit, cum nihil nobis per ultimos vndeциm annos, quibus cardinalatus officio functi sumus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre generale Concilium, & ecclesiae Romanæ statum in melius reformari? Quid enim felicis recordationis Alexandro sexto Romano pontifici prædecessori nostro magis nos odiosos fecit, nisi studium & cura generalis Concilii celebrandi? Quid nos terra marique iactauit, cum nobis idem Alexander prædecessor esset infensus? Quid toties Alpes transcendere, transalpinas Gallias peragrare per aestus, niues & glacies compulit, nisi quod nitebamur, ut a Romano pontifice Concilium indiceretur, conuocaretur & celebraretur? Nota recensemus, & principibus Christianis apertissima, imo illis ipsis qui nos & fratrum nostrorum collegium criminantur, dudum pleneque comperta. Quare si anteactæ vitæ ratio apud prudentes de præsenti & futuro vitæ rationem facit, nulla subest ratio, cur dicti cardinales qui a nobis recefferunt, desperent nos facturos, quod tam longo tempore, tam ardenter, & non sine vitæ discrimine fieri desiderauimus & studuimus. Aperiant oculos cordis, & odii obstacula reſecent, & cogitent, qua voce, quibus oculis, qua facie promiserimus, ut dicunt, in nostra ad pontificatum assumptione, iurauerimus & voverimus generale celebrare Concilium: quoniam nostra promissio interfuerunt. Certe palpabunt, nos non sola voce, non simulate, sed in cordis simplici veritate id egiſſe quod prædicant. Quod si ea quæ diximus, attendere nolunt, examinent & inspiciant omne studium in pontificatu nostro circa præmissa. Nonne omnes principes Christianos, qui ad obedientiā ex more præstandam miserunt oratores, admonuimus de celebrando generali Concilio, deque expeditione in perfidos Turcas conciliariter decernenda, assūmenda & prosequenda? Nonne primo pontificatus nostri toto biennio Christianos potentatus pacare studuimus, ut conciliatis animis Concilium iniretur? Quid ultra facere debuimus aut potuimus ad restituendam ecclesiæ pacem, quod omiserimus? Nouit ipse cardinalis, qui editi seu inductionis huiusmodi & contentorum in ea se aurigam profittetur, & \* clavi moderatorem prædicat, quid a nobis habuerit in mandatis, cum ad Romanorum imperatorem electum per uniuersam Germaniæ illum nostrum & sanctæ

<sup>\* clavis</sup>

ANNO sedis apostolicæ legatum misimus : communicet illa fratribus suis qui cum illo sentire videntur ; proferat monita in scriptis illi tradita : certo certius , & luce meridiana clarius erit, hanc inductionis desperationem de celebrando a nobis Concilio, nedum leuem & inanem , sed falsam, irrationalabilem impossibilemque fuisse. Nulla nostra culpa , neque sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium , dilata est generalis Concilii indicatio , conuocatio & celebratio. Distulit hæc infelicitas temporum , quæ sub eodem Alexandro prædecessore nostro vexare coepit Italiam , & adhuc vexare non cessat ; & instans necessitas recuperandi terras & iura eiusdem Romanæ ecclesiæ. Nam propositum nostrum semper ad Concilii celebrationem promptissimum atque intentissimum fuit. Quare spiritum diffidentia deponant , & ita huiusmodi calumniæ auctores reuersi ad cor , mordere definant pastorem & patrem animarum suarum. Desinant etiam calumniari fratres suos eiusdem Romanæ ecclesiæ cardinales. Quod si tam ardenter illis cordi est , se caput & auctores generalis Concilii constituere , quid ad hanc rem facto opus sit , prius discant. Reuoluant sanctorum patrum & Romanorum vitas pontificum , & antiquum morem indicendi & conuocandi & celebrandi Concilium ; traditiones & leges super his editas a patribus inspiciant , videbunt huiusmodi Concilia a solis Romanis pontificibus esse indicta , & aliter indica , rata non fuisse. Quod vero attinet ad constitutionem Concilii Constantiensis quæ incipit , Frequens huiusmodi ; ea ad octuaginta annos seruata non fuit : & si seruata fuisset , teste piæ memoriae Eugenio papa IV. etiam prædecessore nostro , ac sacrorum Canonū sanctionibus , ex causis prædictis eam licuit nobis transgredi ; & quod fortius est , stante legitimo impedimentoo , de quo supra , eam locum non habere certo certius est. Votum autem & iuramentum , quod ex prædictis causis de iure nobis transgredi licuisset , transgressi non sumus , quandoquidem legitimo impedimentoo detenti , non potuimus obseruare : & quia votum & iuramentum , quantum ad hanc materiam attinet , in foro conscientia versantur , de æquitate canonica purgatio moræ semper admittitur. Desinant nobis & fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus negligentiam impingere , quæ , ut præmittitur , nulla fuit ; & si qua fuisset , ipsis

Concil. Tom. 34.

P ij

cum Alexandro prædecessore præfato & nobiscū manen-  
tibus multo magis imputari posset. Quod autem docentes  
iuxta prophetam, linguas suas loqui mendacium, & contra  
diuinum præceptum, aduersus principem populi sui male-  
dicentes, configunt in nos crimina, & ea quidem, vt af-  
serunt, durantia, grauissima, notoria, scandalizantiaque  
vniuersalem ecclesiam; dicuntque propterea negligentibus  
aliis sanctæ Romanae ecclesiæ cardinalibus, ad eos de-  
uolutam Concilii congregandi facultatem; non miramur:  
quoniam, teste Hieronymo, schismatici, cum dubitant cau-  
fas suas damnari, in contumelias profiliunt. Dicant prædi-  
cti, nomine tantū cardinales, Dathan & Abiron, Acacium  
que & Dioscorum repræsentantes, tenebrarum filii, num-  
quid summo pontifici spectet & pertineat cōgregare Con-  
cilium, etiam si de sua causa agatur? Legant vltra antiquos,  
gesta Constantiensis Concilii, in quibus se potissimum fun-  
dant, vt ex eis, tamquam Iudæi ex propriis codicibus con-  
fundantur: reperient, Ioannem papam XXIII. de cuius  
potissimum causa agebatur, Concilium Constantiense hu-  
iusmodi indixisse. Cum ergo Conciliū prædictum congre-  
gare paratisimus, satis constat, dolosas eorum linguas locu-  
tas fuisse mendacium. Sed si hæc omnia cessarent, stantibus  
impedimentis prædictis, in qua negligentia dici possunt esse  
fratres nostri sanctæ Romanae ecclesiæ cardinales huiusmo-  
di non requisiti ad Concilium congregandū, ita vt ad pau-  
cissimos, Romano pontifici eorum culpa ambitioneque  
infensos, schismaticos, ac extra domum Dei positos, potue-  
rit potestas vniuersalis ecclesiæ deuolui, imo potius ab eis  
vsurpari? Adiiciamus ergo nunc huiusmodi potestatis abu-  
sum ostendere trium mensium & quatuordecim dierum  
ab eis tempus in suo, vt volunt, edicto seu conuocatione af-  
signatum, & ad oecumenicum Concilium congregandum:  
hoc tam breui temporis spatio poterit nationibus Christia-  
nis a Mediolano remotissimis legitime innotuisse? Poteruntne,  
qui venturi decernerentur, ad tantum iter necessaria con-  
quisuisse? Poterunt principes accedere volentes, populis  
sibi subditis & status sui securitati \*bonæ consuluisse? Pote-  
runt, quos mittere decreuerint, procuratores aut oratores

ANNO CHRISTI 1512. plene informatos mittere? Vix cursor expeditus trium mensium & semi spatio ire & redire posset sine sarcinis, vnde & quo ipsi graues viros & multa secum impedimenta trahentes, sine quibus venire non possunt, putant, imo decernunt, accedere posse & oportere. Quare si nihil aliud, indictionem Concilii quam attentauerunt, in tempore præfixo accedendi impossibilitas ipsa penitus eneruauit: sed possibile fuerit & aliqua ratione decretum hoc ipsum Concilii tempus, loci ratio indictionem ipsam nullam facit. Locus Concilii commodus esse debet & tutus. Quis ignorat (quod dolenter dicimus) vrbum Pisas prope quatuordecim continuos annos obfessam durissime fuisse, & ad eam desolationem bello redactam, vt rarissimæ domus integris parietibus in illa consistant, & fere nullæ sint, quæ contignationibus & solariis muniantur? Habitarentne ibi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, principes sæculares, vel oratores eorum, communitatum item nuntii? Habitarentne doctores celeberrimi, tam diuini iuris quam humani, ruinas domos, ciuitatemque penitus desolatam pro celebrando œcumeno Concilio? Nunquam talibus in locis scriptum est Concilium generale fuisse celebratum. Reuoluuntur omnes Conciliorum œcumenicorum historiae: apparebit patribus nostris sanctis sane & prudentibus viris, pro celebrando Concilio ante omnia cordi fuisse, eligere ciuitatem amplam, ædificiis accommodatam, salubris aeris, fertilis soli, conuenientibus commeatibus facilem: quæ omnia si Pisis adesse quispiam affirmauerit, ruinæ ciuitatis, ædificiorum ruderæ, villarum & vinearum euersiones redarguant sic dicentem. Hæc tamen si Pisis essent integra, vt non sunt, nec affirmari possunt sine impudentia; quomodo est ad Pisas tutus accessus, vel in ea mansio, cum omnis Tuscia arma nunc tractet, & nos pro pastorali, quod gerimus, officio, nil magis premat, quam Florentinos & Senenses, inter quos fremit bellum, ne se armis inuicem impetant, continere? Fidem de re hac facere possunt plerique Christiani principes, a nobis saepius & instantius requisiti, suam per literas & nuntios auctoritatem & gratiam interponere, vt si inter se ii populi pacem habere

P iii

noluerint , per inducias saltem ab armis abstineant. Igitur cum ex præmissis & aliis etiam notissimis causis , accessus ad Pisas , vel ibi mansio secura habenda verisimiliter credi non possit , cum ciuitas ipsa desolatione , habitationibus pro Concilio non sit fulta ; cum ager vastitate sit desolatus , cum tempus in edito seu inductione præsum sufficere non possit , & terminus assignatus ab illis temporibus pro generali Concilio celebrando dari solito non respondeat : cum insuper indicentes nulla sint auctoritate suffulti , & si quam habere possent , illa , vt decuit & fieri oportuit , imo debuit , non sint vni ; cum editum ipsum seu conuocatio de falsitate se conuincat : Nos considerantes , quanta cum difficultate & temporis diuturnitate prædecessores nostri præfati in eorum Conciliis celebratis priscas hæreses & schismata , etiam aliquando imperiali maiestate adiuuante , sustulerunt , quodque illa in totum extinguere nequierunt , cum eorum aliqua (quod dolentes referimus ) usque ad hodiernum diem in sua pertinacia perdurent , quamque calamitosa fuerint prælatis & omnibus Christi fidelibus schismatum tempora , supradicta omnia , tamquam perniciossima schismatum atque errorum seminaria , quæ aliquamdiu coniuentibus oculis tolerauimus , expectantes eorum ad cor reuersionem , ob Christi caritatem zelumque domus suæ dissimulare ulterius non valemus , timentes nobis improperari illud Ezechielis : *Non ascenditis ex aduerso , neque opposuitis vos murum pro domo Israel* : verentes etiam , ne figmenta erroresque prædicti Christi fidelium minus eruditorum mentes aliquo infidelitatis laqueo inuoluant , apud quos saepe , vt inquit Origenes in canticâ , pulciora videntur mendaciorum sophismata , quam documenta veritatis : & ne error cui non resistitur , approbari videatur , & veritas Deique causa , & iura indefensa opprimantur , habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus matura deliberatione , de eorumdem cardinalium consilio & vnanimi consensu , ac de apostolicæ potestatis plenitudine , prædictas inductionem , conuocationem & publicationem assertas , schismaticæ conuenticulæ , synagogæ satanæ , & ecclesiæ malignantium , per Dathan

Ezech. 13.

ANNO  
CHRISTI  
1512.

& Abiron auctores schismatum, eorumque socios, & alias supradictas procuratorio nomine dictorum carissimorum filiorum nostrorum Maximiliani imperatoris Romanorum electi, & Ludouici Francorum regis Christianissimi, illustrium principum, factas, indictas & publicatas, omniaque & singula in eis & qualibet earum contenta, & inde secuta quæcumque, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus infererentur, pro sufficienter expressis & insertis haberi volumus, tamquam a non habentibus facultatem, & ex minus legitimis causis ac incongruis terminis & loco, nulla, irrita & inania, non legitime ad scindendum & scandalizandum vniuersalis ecclesiæ vnitatem facta, ne cancerosus morbus inualescat, reprobamus, reuocamus, cassamus, irritamus & annullamus, reuocataque, irrita, cassa, reprobata & annullata haberi volumus, ac, prout sunt, nullius roboris vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus. Districtus sub excommunicationis, anathematis & maledictionis æternæ, ac dignitatum & beneficiorum ecclesiastico-rum quorumcumque sæcularium vel regularium, feudorum, indultorum, priuilegiorum, concessionum, facultatum & gratiarum priuationum ipso facto, infamia, & aliis in vniuersalem ecclesiam scandalizantes, & schisma in ea discordiamque suscitantes, eisque consilium, auxilium vel fauorem præstantes, tam a iure quam alias promulgatis & indictis poenis inhibemus. Nec non eisdem cardinalibus qui a nobis recesserunt, vt præfertur, ac omnibus & singulis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, qualitatis, conditionis, præminentia, auctoritatis & nobilitatis existentibus, & quacumque ecclesiastica, etiam cardinalatus, patriarchali, \* prouinciali, archiepiscopali, episcopali, abbatiali, seu sæculari, regali, reginali, ac etiam imperiali, ac aliis dignitatibus & præminentibus fulgentibus, & quos ab omni vinculo iuramenti, conuentonis, obligationis & promissionis per eos forsan factarum, propterea absoluimus & liberamus, ac absolutos & liberatos fore nuntiamus, ne inductionibus, publicationibus & conuocationibus prædictis, omnibusque aliis & singulis, vel eorum aliquo, per reprobos aut alios præfatos, vel eorum aliquem, vt præfertur, factis, direcione,

\* primi-  
tiali,

vel indirecte, tacite vel expresse, seu quis quæsito co-  
lore adhaerant, accedant, intersint, obedient, assistant,  
consilium, auxilium vel fauorem præstent, aut quomo-  
dolibet intendant, ut pessima \* facta suis erroribus con-  
fusa tamquam nebula dissoluantur, etiam inhibemus.  
Omniaque & singula, ciuitates, terras & loca quæcum-  
que, ad quæ peruersa Concilia, seu potius Conciliabu-  
la, schismaticas conuenticulas, synagogas, ac ecclesiæ  
malignantium huiusmodi indicentes, & eis adhaerentes,  
obedientiam, consilium, auxilium vel fauorem aliquem,  
ut præfertur, præstantes, & eorum quemlibet declinare  
contigerit, & in quibus Concilia seu Conciliabula, aut  
ecclesiæ malignantium huiusmodi celebrari vel coadu-  
nari & congregari contigerit, ecclesiastico subiicimus  
interdicto. Et nihilo minus bonam intentionem nostram  
exequi volentes, ut antiquæ hæreses quæ in diuersis Chri-  
stianorum partibus nondum extinctæ sunt, & pessimum  
nouiter pullulans schisma, extinguantur, reformationi  
que morum, tam ecclesiasticorum quam sæcularium per-  
sonarum, quæ de iure vel consuetudine reformationi  
vel determinationi Concilii subiiciuntur, bellorumque  
imminentium seditioni consulatur, vnicuique quod suum  
est reddatur, iustitia & pax sese inuicem osculentur,  
*Psalms. 84.* Christique fideles in pace & unitate, in Dei nomine, non  
ex passionum priuatarum fomite, qui, ut ex gestis diuer-  
sorum Conciliorum apparet, pessimos effectus parere  
confuevit, congregati, ad faciendum expeditionem con-  
tra infideles iam regnum Siciliæ infestantes, meliora ac  
nobilitiora loca Christianorum occupantes, præsertim Ie-  
rusalem matrem nostram antiquam, & ex antiqua Chri-  
stianorum negligentia deperditam, facilius & promptius  
intendant: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Pa-  
tris & Filii & Spiritus sancti, auctoritate omnipotentis  
Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, qua  
in terris fungimur, de simili eorumdem fratum consilio  
& affensi, œcumenicum, vniuersale ac generale Conci-  
lium in alma vrbe nostra communi omnium patriæ, lo-  
co aptissimo & tutissimo, apud Lateranum, ubi plurima  
Concilia per antiquos & patres nostros habita fuerunt, &  
Altissimus Petri sedem collocari voluit, literatorumque

&amp;

ANNO CHRISTI 1512. & peritorum numerus copiosus habetur , post festum resurrectionis Domini nostri Iesu Christi proxime futurum , inchoandum , anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo , die Luna decimanona mensis Aprilis , quæ erit feria secunda post octauam eiusdem resurrectionis , celebrandum , & , ut sequitur , auctore Domino finiendum , nuntiamus , conuocamus , statuimus , indicimus & ordinamus , licet nos non lateat , hanc nouem mensium præfixionem pro sacro Concilio generali celebrando , ex tot longinquis mundi partibus venturis fortassis non sufficere , & de breuitate notari posse ad tantam rem peragendam , præsertim cum a sanctis patribus Romanis pontificibus prædecessoribus nostris assignato tempori ad similia generalia Concilia congreganda non respondeat , qui nunquam minus quam annum ad hoc inchoandum assignasse reperiuntur . Sed quia ad Christianissimum regem prædictum , & quosdam alios principes de inchoando generali Concilio in tempore præsentibus inferto , literas dedimus : & insuper , ne volentibus nos & venerabiles fratres nostros eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales calumniari , ansam daremus , si longius tempus statuissemus , visum est nobis hunc terminum assignare . Insuper præfatis & aliis venerabilibus fratribus , patriarchis , archiepiscopis , episcopis , monasteriorum abbatibus & prælatis , præsertim sub vinculo iuramenti ad visitandum certis temporibus limina apostolorum Petri & Pauli , etiam tempore sua promotionis adstrictis & obligatis , non obstantibus quibusvis concessionibus , priuilegiis & indultis , eis eorumque ecclesiis , monasteriis & beneficiis per dictos prædecessores nostros aut nos concessis , confirmatis & innouatis , quæ pro expressis habentes , ex certa scientia & plenitudine præmissis , casfamus , irritamus & annulamus . Omnibusque aliis ecclesiasticis vel sæcularibus , etiam regibus & principibus , ceterisque personis , quæ de iure vel consuetudine in congregationibus generalium Conciliorum solent interuenire , cessante legitimo impedimentoo , de quo legitime docere teneantur per se vel alios idoneos nuntios , procuratores vel oratores , legitima mandata habentes , sub excommunicationis , aliisque de iure vel consuetudine , aut

Concil. Tom. 34.

Q

alias non accendentibus ad generale Concilium indicetum,  
pœnis, mandamus, vt ad ipsum Concilium Lateranense  
accedere, & vsque ad dicti Concilii conclusionem &  
dissolutionem per nos vel auctoritate nostra fiendam,  
in dicta vrbe morari debeant, nec non carissimos in  
Christo nostros & eiusdem Romanæ ecclesiæ filios Ma-  
ximilianum Romanorum imperatorem electum prædi-  
ctum, ceterosque Christianorum illustrissimos reges,  
duces, marchiones, comites & alios nobiles in virtute  
sanctæ obedientiæ rogamus, hortamur & monemus,  
vt opem & operam adhibeant efficaces, quod omnes &  
singulæ tam ecclesiasticæ quam sæculares personæ, in  
eorum regnis, ducibus & dominiis consistentibus, quæ  
in generalibus Conciliis de iure vel consuetudine inter-  
esse consueuerunt, ad Concilium Lateranense huiusmo-  
di, cessante impedimento prædicto, accedant, postpositis  
odiis, conciliatis animis in Spiritu sancto, non autem  
passionibus repleti, veramque domum Dei facientes, &  
his quæ ad Dei laudem, ecclesiæ exaltationem, vnitatem  
& reformationem, schismatum vero & hæresum tota-  
lem extirpationem, fideliumque prædictorum pacem &  
salutem concernunt, caritate muniti intendant. Et ne ad  
tantum laudabile & necessarium opus accedere deben-  
tes aliquibus de causis seu figmentis ab accessu ad di-  
ctum Concilium Lateranense quomodolibet retrahan-  
tur, omnibus & singulis in congregationibus Concilio-  
rum generalium adesse solitis, & ad dictum Concilium  
Lateranense venientibus, eorumque seruitoribus &  
familiaribus cuiuscumque status, gradus, ordinis, condi-  
tionis vel nobilitatis existentibus, ecclesiasticis & sæcu-  
laribus, pro se & bonis eorum quibuscumque per ciu-  
tates, terras & loca terrestria & maritima dictæ Romanæ  
ecclesiæ subiecta, ad Concilium Lateranense, ad vrbum  
huiusmodi veniendi, & in ea morandi & libere confu-  
lendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, etiam post  
quatuor menses post dicti Concilii Lateranensis conclu-  
sionem & dissolutionem, liberum, tutum & securum  
saluumconducetum, ac plenam & omnimodam securita-  
tem de confilio & potestate præmissis, damus & conce-  
dimus, aliosque saluosconducetus & securitates habere

ANNO CHRISTI 1512. cupientibus dare pollicemur , eosque benigne & caritatiue tractabimus & suscipiemus. Mandantes sub indignationis nostræ & aliis arbitrio nostro infligendis pœnis, omnibus & singulis gentibus nostris armigeris , equestribus & pedestribus, ac arcum nostrarum castellanis, ciuitatum, terrarumque & locorum dictæ Romanæ ecclesiæ subiectorum legatis , gubernatoribus , rectoribus, locatenentibus, potestatibus, officialibus & vassallis, vt, non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinacionibus apostolicis , legibus imperialibus , statutis quoque & consuetudinibus municipalibus , etiam iuramento, confirmatione apostolica , aut quavis alia firmitate corroboratis , quaæ saluoconductui & securitati præmissis in aliquo derogare , seu illos quomodolibet impedire possent, etiam si talia forent , de quibus specialis , specifica , expressa & indiuidua , non autem per generales clausulas id importantes , mentio seu quævis alia expressio habenda foret , illarum omnium tenores præsentibus , ac si de verbo ad verbum inférerentur , pro expressis habentes: venientes ad Concilium Lateranense huiusmodi libere , tute & secure transire , morari & recedere permittant & permitti faciant , ne tantum \* taleque laudabile & necessarium Concilium Lateranense distrahatur , & vt ad illud venientes tute & in pacis tranquillitate viuere , dicere & expedire valeant , quaæ omnipotentis Dei honorem conceruent , totiusque ecclesiæ sanctæ statum. Decernentes nihilo minus irritum & inane , quidquid contra indictionem Concilii Lateranensis per nos \* indictam huiusmodi , seu ad impedimentum , præiudicium aut dilationem eiusdem , per schismaticam conuenticulam & ecclesiam malignantium prædictas , seu quemuis alium , quavis auctoritate , quouis ingenio aut quæfito colore , scienter vel ignoranter contigerit attentari. Insuper , vt præmissa omnia & singula ad omnium , ad quos spectat , notitiam & cognitionem deueniant , omniumque quaæ in præsentibus literis continentur , certa & indubitata notitia habeatur , nullusque præmissorum ignorantiam iuste pretendere possit , nec se legitime excusare , cum etiam ad intimandum aliquibus personaliter in præsentibus literis comprehensis tutus non pateat accessus , lite-

\* f. tam-  
que  
\* f. indi-  
cti

Concil. Tom. 34.

Q ij

ras prædictas : Volumus & decernimus , præsentes literas nostras , per aliquos curiæ nostræ curfores vel notarios publicos , in basilica principis apostolorum & ecclesia Lateranensi , hora diuinorum , dum ibi multitudo populi ad diuina audiendum conuenire & congregari consueuit , publice ac alta & intelligibili voce legi & publicari , & dictarum ecclesiarum portis siue valuis , & in aacie campi Floræ & cancellariæ apostolicæ affigi , & ibidem per aliquid temporis spatium dimitti debere , vt ad singulorum notitiam publicamque notionem deuenire possit : transumptisque illarum manu publicorum notariorum factis vel subscriptis , sigilloque alicuius prælati munitis , fidem indubiam adhiberi , omnesque & singulos in illis comprehensos , & ad quos pertinet , perinde arctari & constringi ac teneri & obligari ad obseruantiam omnium & singulorum in eis contentorum , cuiuscumque gradus & dignitatis existant , ecclesiasticæ vel mundanæ , post lapsum vnius integri mensis a data præsentium numerandi , in omnibus & per omnia , & perinde ac si personaliter & in propria persona intimata fuissent , & eis personaliter præsentatae , præsentium tenore decernimus , statuimus & declaramus . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis , reuocationis , cassationis , irritationis , annullationis , declarationis , abolitionis , liberationis , inhibitionis , interdicti , nuntiationis , conuocationis , statuti , inductionis , ordinationis , concessionis , mandati , voluntatis & decreti infringere , vel ei ausu temerario contraire . Si quis autem hoc attentare præsumperit , indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum .

Datum Romæ apud sanctum Petrum , anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo vndecimo , quintodecimo Kal. Augusti , pontificatus nostri anno octauo .

Sigismundus  
D. de Comitibus .

Ego Iulus catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi .

*Dominus mihi adiutor , non timebo quid faciat mihi homo .*

Sanctus Petrus , sanctus Paulus .

Iulus papa secundus .

ANNO  
CHRISTI  
1512. Ego Raphael episcopus Ostiensis, cardinalis sancti Georgii, camerarius, subscripti.

Ego Dominicus episcopus Portuensis, cardinalis sancti Marci, subscripti.

Ego Iacobus episcopus Albanensis, cardinalis Arborensis, subscripti.

*Cardinales presbyteri.*

Ego Nicolaus cardinalis tituli sancte Priscae, subscripti.

Ego F. cardinalis de Claromonte manu propria.

Ego Marcus tituli S. Mariae Transtiberinæ cardinalis Senogalliensis.

Ego Robertus tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Nannetensis.

Ego Leonardus tituli sancte Susannaæ presbyter cardinalis subscripti.

Ego Christophorus tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis subscripti.

Ego Sixtus tituli sancti Petri ad vincula presbyter cardinalis, vicecancellarius, subscripti.

Ego Christophorus Eboracensis tituli sancti Petri & Marci presbyter cardinalis subscripti.

Ego Antonius tituli sancti Vitalis presbyter cardinalis subscripti.

Ego Petrus tituli sancti Eusebii presbyter cardinalis subscripti.

Ego Achilles tituli sancti Sixti presbyter cardinalis Bononienis subscripti.

Ego F. tituli sancti Clementis presbyter cardinalis subscripti.

*Diaconi cardinales.*

Ego Ioannes sanctæ Mariæ in Domnica diaconus cardinalis de Medicis, manu propria subscripti.

Ego Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis de Farnesio, manu propria subscripti.

Ego Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis de Aragonia, manu propria subscripti.

\*de Cor-  
neliis. Ego Marcus sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis \* Cornelius, manu propria subscripti.

Ego B. sancti Hadriani diaconus cardinalis subscripti.

Ego Alfonsus S. Theodori diaconus cardinalis Petruclius subscripti.

\* dictarū  
litera-  
rum apo-  
stolica-  
rum in-  
frascripta  
verba  
erant. A tergo vero \* dictæ bullæ erant verba executionis & publicationis & intimationis dictæ bullæ per tres cursores infra scriptos facta sub hac forma, videlicet:

Anno a nativitate Domini 1511. indictione decimaquarta, die vero Veneris vigesimaquinta mensis Iulii, pontificatus sanctissimi domini nostri Iulii diuina prouidentia papæ II. anno octauo, retro scriptæ literæ apostolicæ conuocationis Concilii generalis, publicatæ & affixæ fuerunt in valuis sancti Iacobi Hispanorum de Vrbe, dum celebabantur diuina, vbi magna multitudo conuenerat, tam

Q iii

126 <sup>IVLIVS</sup> C. LATERANENSIS V. MAXIMILIANVS I.  
P. II. IMP.

ANNO  
CHRISTI  
1512.

curialium quam officialium, & Romanorum, propter festum solenne quod in eadem ecclesia celebrabatur. Eadem die in Vesperis, dum celebrabantur diuina, publicata & affixa fuit in valuis principis apostolorum de Vrbe. Die vero sequenti Sabbati, retroscriptam bullam in basilica principis apostolorum de Vrbe, hora Missæ, dum celebrabantur diuina, & multitudo copiosa assisteret, ego Petrus Mengiuar præfati domini nostri papæ cursor alta & intelligibili voce coram omni populo dictam bullam de verbo ad verbum legi, lectamque ad valvas dictæ basilicæ affiximus, & per spatum vnius horæ affixam dimisimus. Eadem die dictam bullam publicauimus & affiximus in valuis cancellariæ apostolicæ, & affixam dimisimus, durante cancellaria. Eodem die in ecclesia sancti Ioannis in Laterano hora Vesperarum, dum celebrabantur diuina, ego Petrus Mengiuar sanctissimi domini nostri papæ cursor dictam bullam alta & intelligibili voce legi, lectamque ad valvas dictæ ecclesiæ affiximus & publicauimus, & per spatum vnius horæ affixam dimisimus. Eadem die retroscriptam bullam publicauimus, & affixam dimisimus per spatum duarum horarum in acie campi Floræ, vt moris est, per nos Onophrium Balestarium, Petrum Mengiuar, & Ioannem Bernardi, præfati domini nostri papæ cursores. Et ita fidem facimus, & manibus propriis scripsimus & subscrisimus.

Ita est, Onophrius Balestarii cursor.

Ita est, Petrus Mengiuar cursor.

Ita est, Ioannes Bernardi cursor.

Deinde prælibatus sanctissimus dominus noster dominus Iulius papa II. prorogauit Concilium generale huiusmodi ad certum alium terminum, vt in literis apostolicis desuper confessis plenius continetur, quarum tenor sequitur, & est talis.

*Bulla prorogationis Concilii generalis.*

*Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Inscrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo ad hoc nos, maximæ potestatis desuper plenitudine tradita, super vniuersum gregem dominicum præsulem constituit, vt ad

ANNO  
CHRISTI  
1512. remouendum atque extirpandum de agro Domini ve-  
pres, ex quibus possent ecclesiæ suæ sanctæ & Christianæ  
reipublicæ dissensiones & scandala prouenire, cura & fo-  
litudine assidua ac peruigili intendamus, & vt ea con-  
gruo tempore, & sine alicuius incommodo & periculo  
expediri valeant, opportune prouideamus. Nuper siquidem  
cupientes generale Concilium in alma Vrbe nostra  
apud Lateranum, vbi plurima Concilia habita fuerunt,  
iuxta deliberationem & ordinationem per nos de fratum  
nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio  
& assensu factam, die Lunæ decimanona præsentis mensis  
Aprilis, quæ erit feria secunda post octauā festi resurrectio-  
nis Domini nostri Iesu Christi proxime præteriti, auctore  
Domino celebrare, vt illa in eo statuerentur & fierent,  
quæ cederent ad laudem Dei & ecclesiæ exaltationem,  
unitatem & reformationem, ac schismatum & hæresum  
totalem extirpationem, fideliumque pacem & salutem,  
ac bonum publicum ecclesiæ suæ sanctæ, huiusmodi vene-  
rabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, epi-  
scopis, monasteriorum abbatibus & prælatis, omnibusque  
aliis ecclesiasticis vel sacerdularibus, etiam regibus & prin-  
cipibus, ceterisque personis, quæ de iure vel consuetudine  
in congregationibus generalium Conciliorum solent in-  
teruenire, cessante legitimo impedimentoo, de quo legiti-  
me docere tenerentur per se vel alios idoneos nuntios,  
procuratores vel oratores, legitima mandata habentes,  
sub excommunicationis, aliisque de iure vel consuetu-  
dine, aut alias non accendentibus ad generale Conci-  
lium indicatum infligi solitis poenis, mandauimus, vt ad  
ipsum Concilium Lateranense accedere, & vsque ad  
dicti Concilii conclusionem & dissolutionem per nos vel  
auctoritate nostra faciendam, in dicta vrbe morari debe-  
rent: nec non carissimos in Christo filios nostros & eiusdem  
Romanæ ecclesiæ filios, Maximilianum in Romanorum  
imperatorem electum, ceterosque Christianorum reges  
illustres, duces, marchiones, comites, & alios nobiles in  
virtute sanctæ obedientiæ rogauimus, hortati fuimus &  
monuimus, vt opem & operam adhiberent efficaces, quod  
omnes & singulæ tam ecclesiasticæ quam sacerulares per-  
sonæ in eorum regnis, ducatibus & dominiis consistentes,

quæ in generalibus Conciliis de iure vel cōsuetudine inter-  
esse confueuerunt , ad Concilium Lateranense huiusmo-  
di , cessante impedimento prædicto , accederent , prout in  
nostris inde confessis literis plenius continetur , ac locum  
apud Lateranum pro Concilio huiusmodi habendo præpa-  
ravimus , & pro reformatione prædicta statuenda , puro  
corde & recta voluntate adimplere proponimus , ac ex  
literis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdi-  
nandi Aragoniæ & Siciliæ , ac Henrici Angliæ , & aliorum  
regum illustrium , aliorumque principum , nobis constet ,  
episcopos & alios prælatos regnum & dominiorum suo-  
rum , ad Concilium per nos indictum venire , & in itinere  
esse . Verum propter conflictum apud ciuitatem nostram  
Rauennam Romandiæ prouinciae nuper habitum , vbi  
magna hominum strages fecuta fuit , cum non solum rei mi-  
litari operam dantes , sed etiam incolæ & habitatores illa-  
rum partiū ad prædam intenti existant , & propterea etiam  
prælati & alii ad Concilium huiusmodi venientes sine ma-  
gno incommodo & vitæ discrimine per ciuitates & loca  
Romandiæ , & illis circumuicina transfire non valeant ,  
viarumque itinera tuta non sint , ac proxima dies Lunæ , qua  
Concilium per nos indictum huiusmodi inchoari , ac præla-  
ti & ceteri huiusmodi Concilio interesse debebant , instare  
nosfatur , ipsique prælati adhuc non venerint , & \* propter-  
ea præmissa remorari aliquamdiu cogantur . Nos igitur ar-  
chiepiscoporum & episcoporum , ac aliarum personarum  
ad Concilium huiusmodi accendentium periculis obuiare ,  
& eorum commodo prouidere volentes , habita super his  
cum præfatis venerabilibus fratribus nostris matura deli-  
beratione , & ipsorum communī consilio & assensu , tem-  
pus Concilii celebrandi huiusmodi ad hoc , vt archiepi-  
scopi , episcopi & prælati , ac abbates , & alii ad Conci-  
lium huiusmodi accedentes , & in itinere existentes , in-  
choando Concilio interesse possint , ad Kalendas Maias  
proxime futuras auctoritate apostolica tenore præsentium  
prorogamus , non obstantibus præmissis ac aliis constitu-  
tionibus & ordinationibus apostolicis , ceterisque contra-  
riis quibuscumque . Nulli ergo omnino hominum liceat  
hanc paginam nostræ voluntatis & prorogationis infrin-  
gere , vel ei ausu temerario contraire . Si quis autem hoc

attentare

ANNO  
CHRISTI  
1512.

SESSIO I.

MAXIMILIANVS L.  
IMP.

129

attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, quintodecimo Kalendas Maii, pontificatus nostri anno nono.

ALIA PROROGATIO SESSIONIS.

Successive vero idem dominus noster papa ad alium certum terminum Concilium prædictum prorogandum duxit, & prorogauit, prout in Breui apostolico defus per confessio plenius continetur, cuius quidem tenor ad verbum de verbo sequitur, & est talis.

*Iulus papa secundus, ad futuram rei memoriam.*

Romanus pontifex dominici gregis suprema sibi dispositione commissi curam agere studens, ea quæ pro vniuersalibus ecclesiæ reformatione, & eiusdem gregis utilitate, ac catholicæ fidei & reipublicæ Christianæ exaltatione, certo præfixo tempore fieri ordinauerat, nonnunquam ad aliud breue tempus, subsistente causa, libenter prorogat & extendit. Nuper siquidem cupientes generale Concilium in alma Vrbe nostra apud Lateranum, vbi plurima Concilia habita fuerunt, iuxta deliberationem & ordinationem per nos de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu factam, die Lunæ decimanona præsentis mensis Aprilis, quæ fuit feria secunda post octauam festi resurrectionis Domini nostri Iesu Christi proxime præteriti, auctore Domino celebrare, ut illa in eo statuerent & fierent, quæ cederent ad laudem Dei & ecclesiæ exaltationem, unitatem & reformationem, ac schismatum & hæresum totalem extirpationem, fideliumque pacem & salutem, ac bonum publicum ecclesiæ sanctæ, huiusmodi venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, monasteriorum abbatibus & prælatis, omnibusque aliis ecclesiasticis vel sæcularibus, etiam regibus & principibus, ceterisque personis, quæ de iure vel consuetudine in congregationibus generalium Conciliorum solent interuenire, cessante legitimo impedimentoo, de quo legitimate docere tenerentur per se vel alios idoneos

*Concil. Tom. 34.*

R

130 IULIUS C. LATERANENSIS V. MAXIMILIANVS I.  
P. II. IMP.

ANNO  
CHRISTI  
1512

nuntios, procuratores, vel oratores legitima mandata habentes, sub excommunicationis, aliisque de iure vel consuetudine, aut alias non accendentibus ad generale Concilium indicatum infligi solitis poenis, per quasdam mandauimus, ut ad ipsum Concilium Lateranense accedere, ac usque ad dicti Concilii conclusionem & dissolutionem, per nos vel auctoritate nostra faciendam, in dicta vrbe morari deberent. Nec non carissimos in Christo filios nostros, & eiusdem Romanæ ecclesiæ filios, Maximilianum in Romanum imperatorem electum, ceterosque Christianoru[m] reges illustres, duces, marchiones, comites, & alios nobiles, in virtute sanctæ obedientiæ rogauiimus, hortati fuimus & monuimus, ut opem & operam adhiberent efficaces, quod omnes & singulæ tam ecclesiasticæ quam sacerdtales personæ in eorum regnis, ducatis & dominiis consistentes, quæ in generalibus Conciliis de iure vel consuetudine interesse confueuerunt, ad Concilium Lateranense huiusmodi, cessante impedimento prædicto, accederent, ac locum apud Lateranum pro Concilio huiusmodi habendo præparauerimus, ac pro reformatione prædicta statuenda puro corde & recta voluntate adimplere proposuerimus, ac carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Aragonum & vtriusque Siciliæ, ac Henrici Angliæ, & aliorum regum illustrium literis intelligeremus, episcopos & alios prælatos regnorum & dominiorum suorum ad Concilium per nos indicatum huiusmodi venire, & in itinere esse, ac propter conflictum apud ciuitatem nostram Rauennæ Romandiæ prouinciae nuper habitum, vbi magna hominum strages secuta fuit, non solum rei militari operam dantes, verum etiam incolæ & habitatores illarum partium ad prædam intenti existerent, & propterea prælati & alii ad Concilium huiusmodi venientes, sine magno incommodo & discrimine transfire non valerent, viarumque itinera tuta non essent, ac dies Lunæ, in qua Concilium per nos indicatum huiusmodi inchoari, ac prælati & ceteri huiusmodi Concilio interesse debebant, instare nosceretur, ipsique prælati tunc non venissent, & propterea remorari cogerentur: nos habita super his cum præfatis venerabilibus fratribus nostris matura deliberatione, ac de ipsorum communi consilio & assensu, per alias

nostras literas tempus Concilii celebrandi huiusmodi , ad hoc vt archiepiscopi , episcopi & prælati , & abbates , & alii ad Concilium huiusmodi accedentes , & in itinere huiusmodi existentes , inchoando Concilio interesse possent , ad Kalendas Maii proxime futuras prorogauimus , prout in singulis nostris literis plenius continetur . Cum autem terminus prorogationis huiusmodi instare noscatur , & causa prorogationis huiusmodi non solum non cessauerint , verum etiam noui incendii , quod prope Vrbem exoriri inceperat , & in dies magis augeri formidabatur , extincioni summa diligentia operam dare studuerimus : nos itaque habita super his cum præfatis venerabilibus fratribus nostris matura deliberatione , ac de ipsorum consilio & assensu , Concilii celebrandi tempus prorogatum huiusmodi , vt præfertur , ad festum inuentionis sanctæ crucis , quod erit tertia Maii proxime futuri , auctoritate apostolica tenore præsentium prorogamus pariter & extendimus .

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris , die vigesimanona Aprilis 1512. pontificatus nostri anno nono .

Postmodum vero lectis supradictis bullis , idem reuerendissimus dominus Alexander prosecutus est eamdem schedulam tenoris infra scripti .

Statuto itaque tempore congregati per Dei gratiam vna cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus , & nostra curia , præsignato in loco Lateranensis ipsius basilicæ , de sacræ Synodi huius consilio , publicæ fidelium paci , catholicæ fidei propagationi , & reformationi vniuersalis ecclesiæ , nec non hæreticæ præ uitatis nuper exortæ extirpationi intendentes , quia non satis in re tam ardua & ponderosa per se consilia humana sufficiunt , nisi diuinum adsit auxilium , ab ipso per orationes & cultum Dei sumentes initium , hoc sacro generali approbante Concilio statuimus , vt hac ipsa die \* speciali ad hoc constituta celebretur Missa , quemadmodum est per Dei gratiam celebrata : quam etiam iussimus & in hac & in singulis aliis collegiatis , tam secularibus quam regularibus urbis Romæ ecclesiis semel in hebdomada , videlicet feria secunda , sacro hoc durante Concilio celebrari . Utque

*Concil. Tom. 34.*

R. ij

132 IVLIVS C. LATERANENSIS V. MAXIMILIANVS I.  
P. II. IMP.

feruentius eiusdem sacri Concilii celebrationi fideles assi-  
stant, ampliori se gratia munere sentientes refectos, omni-  
bus vere poenitentibus & confessis, videlicet sacerdotibus  
eisdem Missas celebrantibus, pro singulis Missis annos tres,  
interessentibus vero duos de iniunctis eis penitentiis in  
Domino relaxamus in forma ecclesiæ consueta. Ad cuius  
Missæ etiam celebrationem hortamur venerabiles fratres  
nostros sanctæ Romanae ecclesiæ cardinales, nec non patri-  
archas, archiepiscopos, episcopos, & dilectos filios abbates,  
ceterosque in sacerdotali ordine constitutos, ut & ipsi ad im-  
petrandum ditinum auxilium cum deuotione singulis se-  
ptimanis prædictam Missam celebrent semel, quibus cele-  
brantibus & celebrationi interessentibus similes gratias lar-  
gimur. Hortamur in Domino etiam omnes & singulos qui  
Christi nomine censentur, ut ad consequendum inceptæ  
rei prosperum successum & optatam consummationem,  
diligenter precibus, orationibus, iejuniis, eleemosynis, aliis-  
que piis operibus velint insistere, ut Deus nostra & ipsorum  
humilitate placatus, dignetur felicem exitum huic sacræ  
congregationi concedere. Insuper, quia veterum Conci-  
liorum & patrum sanctorum instituta nos monent, ut a con-  
cernentibus catholicam fidem sacra incipiatur Synodus, &  
seruandam esse laudabilem consuetudinem censemus, at-  
tendentes talia propter eorum arduitatem & pondus, dili-  
gentiam & spatium temporis capax exigere, hortamur om-  
nes & singulos literarum peritiam habentes, quibus huic sa-  
cro generali Concilio interesse continget, ut diligenter se-  
cum & cum aliis illa cogitent atque tractent, quæ eis vide-  
buntur ad hanc rem utilia & opportuna, & cum primum  
commode poterunt, illa ad nostram huiusque sacræ Syno-  
di notitiam referant, ut tempore opportuno terminari pos-  
sint, quæ tenenda vel repudianda pro utilitate & ipsius ca-  
tholicæ fidei incremento videbuntur. Hortamur propterea  
congregatos hic omnes, aliosque ad Synodum hanc sa-  
cram venturos, ut cogitare diligenter velint, deinde propo-  
nere ea per quæ possit etiam congregatio catholicorum ad  
debitam reformationem & tranquillitatem optatam Deo iu-  
uante perduci. Nostræque intentionis & mentis est, ut om-  
nes hac causa congregati cum omnimoda libertate dicere,  
consulere & facere omnia & singula quæ ad præmissa pu-

ANNO  
CHRISTI  
1512.

ANNO CHRISTI  
1512. tauerint pertinere, possint & valeant, iuxta aliorum Conciliorum antiquorum consuetudinem. Ut autem notus sit omnibus modus, qui in sacræ huius Synodi processu erit seruandus, tam quoad ea quæ dicenda terminandaque erunt, quam quoad confessum & gestum, iuxta tenorem Canonis Toletani, erit hic norma notata.

Tolet. XI.  
cap. I. qu. 4.  
In loco.

In loco benedictionis confidentes sacerdotes Domini, nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepare, aut ullis tumultibus perturbari, nullis etiam vanis fabulis & risibus agi, & quod deterius est, obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. *Si quis enim, vt ait apostolus, religiosum se putat, non refrenans linguam suam, sed corsuum seducens, huius vana est religio.* Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudicij obstrepentium turbatio confundit, dicente propheta: *Erit enim cultus iustitiae, si lentum.* *Ista. 32.* Debet ergo, quidquid aut confidentium consultationibus agitur, aut a causantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiousis vocibus <sup>\* sensus</sup> audientiam turbulent, nec iudicum vigorem de tumultu eneruent. Quicumque ergo in conuentu Concilii hæc quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumeliis vel risibus Concilium conturbauerit, iuxta legis diuinæ edictum, quo præcipitur: *Eiice derisorem,* <sup>Prover. 22.</sup>

<sup>\* al. & cō-</sup> <sup>fusione</sup> *exhibit cum eo iurgium:* cum omni dedecore <sup>\* de confessio-</sup> ne abstractus, a communi cœtu recedat, & trium die- rum excommunicationis sententiam perferat. Quoniam vero communiter contingere potest, quod aliqui ex confidentibus non erunt in sedibus debitibus collocati, eodem sacro approbante Concilio decernimus, quod ex sessione huiusmodi nulli ecclesiasticæ vel sacerulari personæ præiudicium generetur. Quia etiam ad prosecutionem huius generalis Concilii ministri & officiales idonei requiruntur, hoc eodem sacro approbante Concilio, infra scriptos spectatæ fidei sufficientesque viros ad ipsa ministeria deputauimus, videlicet: In primis dilectum filium nobilem virum Constantimum Conunatum Macedoniae ducem, Achaiae principem, generalem Concilii custodem, conseruatores almae Vrbis & officiales Romanos loci ipsius Concilii. Milites autem Hierosolymitanos, perso-

R iiij

næ nostræ curam habere volumus. Item dilectos filios Nicolaum Lipamanum, Franciscum Spinulam, Alphonsum de Lerma & Paulum de Cesis, notarios nostros, qui videndi omnes scripturas quæ in eodem Concilio fient, curam habeant specialem, ita quod concorditer & ordinate fiant, sicut decens est, & omnibus ordinatis in præfato Concilio se subscribant. Nec non dilectos filios magistrum Benedictum Trulleti, Bernardum Sculteti, Bernardinum de Conteras, Franciscum de Atauantis, præfati Concilii notarios & scribas, qui notariis supradictis subalternent. Item dilectos filios Thomam Phædram bibliothecæ nostræ præfectum, & Bartholomæum Salicetum, eiusdem Concilii secretarios: nec non dilectos filios Jacobum Simonetam causarum sacri palatii auditorem, Hieronymum de Genutiis apostolice camerae auditorem, Aluarottum de Aluarottis literarum apostolicarum abbreviatorem ex maiori parco, Manilium Rabbum acolytum capellæ nostræ, scrutatores votorum. Quorum duo ex vna, alii vero ex altera præfati Concilii parte vota scrutentur, & cum ipsis duo ex eisdem notariis, & duo ex scribis supradictis in votorum scrutinatione semper debent interessere. Dilectos filios Paulum Plancam, Iustinum de Carosis fiscalem, Angelum de Cesis, Ioannem Baptistam de Senis, Melchiorem de Bardasinis, aduocatos; Marianum de Cuccinis fiscalem, Thomam Regis & Bernardum Mocharum procuratores. Locorum autem assignatores, Paridem de Graffis, & Baltassarem Nicolai Viterbiensem, magistros ceremoniarum volumus \* loca assignare debentibus in Concilio sedere. Si <sup>\* f. eti</sup> <sup>& loca</sup> qua vero legenda occurrerint sessione sequenti, venerabilem fratrem archiepiscopum Spalatensem ei muneri deputamus.

Lecta itaque schedula huiusmodi, idem reuerendissimus dominus Alexander petiit ab omnibus, si placebant eis contenta in schedula: & omnes annuerunt, quod sic, nemine discrepante. Deinde infra scripti officiales in supradicta schedula contenti, ad pedes præfati sanctissimi domini nostri, tactis sacrosanctis scripturis, præstiterunt corporale iuramentum, & quilibet eorum præstitit, de

ANNO CHRISTI 1512. fideliter exercendo officia eis commissa: videlicet, reuerendus pater dominus Alphonsus de Lerma, & Paulus de Cefis, protonotarii apostolici de numero: dominus Aluarottus de Aluarottis, literarum apostolicarum de maiori parco abbreviator: excellentes iuris vtriusque doctores, domini Paulus de Planca, Iustinus de Carosiis, Angelus de Cefis, Ioannes Baptista de Senis, & Melchior de Bardafinis, aduocati; dominus Bernardus Mocharus, & Thomas Regis, procuratores: domini Bernardus Sculteti, & Bernardinus de Conferas, scribæ: excellens iuris vtriusque doctor dominus Paulus de Capozuchiis, & nobiles domini Iacobus de \* Fragapanibus, & Petrus Pauli de Vechis, Vrbis almæ conseruatores: & dominus Fabricius de Careto, Sixtus de Ruuere, Petrus Grimanus, priores & milites ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani. Et deinde idem sanctissimus dominus noster Iulius commisit reuerendissimo domino Raphaeли episcopo Ostiensi, cardinali sancti Georgii, sancta Romanæ ecclesiæ camerario, vt reciperet & iurare faceret officiales absentes in prædicta schedula contentos, præsentibus magistris ceremoniarum, &c. Et hæc fuerunt pro prima sessione.

Insuper idem reuerendissimus dominus Alexander cardinalis, de mandato præfati domini statuit & pronuntiavit secundam sessionem fieri debere die Lunæ sequentis hebdomadæ, quæ erit decimaseptima huius mensis, in qua tractabitur de annullatione gestorum in conuenticula satanæ & Conciliabulo Mediolanensi, seu Pisanio, super quo cogitare deberent. Super quibus omnibus & singulis magister Thomas Regis procurator fieri petiit per protonotarios & notarios ad hoc deputatos publicum & publica, instrumentum & instrumenta.

Tenor vero sermonis & orationis habitæ per reuerendum patrem dominum archiepiscopum Spalatensem, præfente sanctissimo domino nostro & reliquis patribus Concilii in habitu consueto prælatorum, videlicet, cum pluviali fericeo & mitra, ascenso ambone consueto, sequitur, & est talis.

136 <sup>IULIVS</sup>  
P. II. C. LATERANENSIS V. MAXIMILIANVS I.  
IMP.

Thomas Niger canonicus, archipresbyter & vicarius Spalatensis,  
doctissimo & integerrimo M. Marulo nobili  
Spalatensi, salutem.

ANNO  
CHRISTI  
1512.

Cum urbem Romam sanctorumque reliquias ex vo-  
to inuisere statuisse, eo tunc temporis euocatum ad  
Concilium Lateranense Bernardum Zane archipræfulem  
nostrum Spalatensem operæprecium visum est comitari.  
Quo cum longo postliminio tandem peruenisse, pera-  
gratis omnibus pene sanctorum facellis, eorumque sacris  
reliquiis ex Christianorum instituto adoratis, contigit  
interfuisse orationi ab eodem archipræfule nostro lucu-  
lentissime peroratæ coram maximo pontifice Iulio I L.  
ceterisque patribus ex industria in Lateranensis ecclesiæ  
Synodo, ad id in prima sessione congregatis. Quam qui-  
dem orationem, M. Marule, amicorum doctorumque  
virorum rarissime, ad te præcipue mittere visum est, vt  
cui tu, in illo tuo præclaro opere de imitatione Christi,  
eruditionis atque ingenii laudem tribuisti singularem,  
dignumque censuisti, cui ipsum opus præcipue dedica-  
res, eius nunc non minus commendes erga rempubli-  
cam Christianam studium atque curam, cum perspexe-  
ris, qualibus ipse argumentis, quanta animi verborum-  
que concitatione totus in eo sit, vt bella inter Christia-  
nos principes exorta sedentur, vt vnuſquisque suis limi-  
tibus contineatur, vt hæresis schismataque extirpentur,  
vt pax reddatur ecclesiæ, vt tandem aduersus commu-  
nes fidelium persecutores Turcas communia Christia-  
norum arma sumantur. Talia tu cum legeris, putabis il-  
lum non in auditorio ac frequenti confessu celeberrimi-  
orum virorum verba facere, sed in acie totum versari,  
arma tractare, buccina militari concrepare: tam acer  
est in dicendo, tam vehemens in exhortando, tam effi-  
cax in suadendo: sed omissa actione, pronuntiationem  
vehementiamque verborum Demosthenis Æschinisque,  
sua verba trutinantum, crederes. Quod nequaquam au-  
derem adstruere, nisi & orationi prius peroratæ, quam  
pene demandatae, ipse interfuisse, & ab omnibus fere  
qui interfueruere, commendatissimam cognouisse. Nam  
& tunc totius pene sacratissimi theatri applausu est ex-  
cepta,

ANNO CHRISTI 1512. cepta, & postea omnium qui eam legerunt , seu audierunt, rotundo ore celebrata , ac doctissimi cuiusque sententia commendata. Magisque eius eloquii venustatem vehementiamque admirantur , qui philosophiae insuper & theologiae peritisimum eum esse non ignorant. Rarum enim est , vt quis ad tam ingenuas , tantæque difficultatis artes etiam rhetoricae examinissim adiecerit. Illud etiam non in vltimis archipræfulis nostri laudibus computandum censeo, vt qui in ecclesia sua metropolitana , in prædicatione annuntiationeque diuini verbi per totam pene quadragesimam indefesso gradu , ac veluti quodam continuato virtutum pariete , a nullius ordinis religionisque professore se passus est superari , in orando etiam eisdem professoribus præferri merito & debuit & meruit, cum prælatorum , non monachorum , id præcipue sit muneric: sed quibus mores quoque hominis , sicut nobis , liquido innotescunt , nihil in eo desiderari aiunt , vel quod ad eruditionem , vel quod ad vitam pertineat. Idem te de ipso iampridem sentire non dubito. Eo etiam magis in eo tantas fortunæ dotes mirandas censeo , quod & nobilitate præcipua splendescens , & opibus non immodicis pollens , in gremio luxuriantis fortunæ molliter educatus , literas non est aspernatus , nec eruditos eruditorumque consuetudinem fastidienter illusit. Nam bona mens bonaque fortuna rarenter copulantur. Quotus enim quisque ex globo nobilium eloquentia studet? quotusquisque aut eruditus est , aut eruditionis assertor ? E contrario complusculos videas ( de nobilibus opulentioribusque loquor) qui vbi occeperint adolescenturire , se totos dedant dedicantque belluinis voluptatibus , quibus literatorum gymnasium carcer est , doctrina supplicium ; qui spretores sunt studiorum , osores studiosorum. At archipræful noster in amplissimis , vti prædixi , fortunarum bonis constitutus , præcipuo Veneti senatus genere præfulgens , stemmata suorum tum summorum pontificum , tum cardinalium patriarcharumque affatim numerans , a teneris , vt Græci aiunt , vnguiculis ad hanc usque ætatem , literarum studia scienter amplexus est , datque iugiter operam , vt natalium suorum splendor eruditione magis illustretur , quam genere. Verumtamen , vt re-

Concil. Tom. 34.

S

138 IVLEVS C. LATERANEN. V. MAXIMILIANVS I.  
P. II. IMP.

uertamur, vnde digressi sumus, cum orationem quam  
mittimus, mi Marce, perlegeris, quod intra te fortasse  
tacitus sentis, etiam verbis scriptisque in publicum se-  
curus dabis; delectabitque te ab eo plurimum amari,  
quem plurimum laudas: imo qui iam multorum ore ce-  
lebratur vbique & extollitur, adeo vt nemo sit, qui du-  
bitet, ex oratione sua suque suo pontificem maximum Iu-  
lium, compositis ecclesiæ rebus, & his quæ per tyran-  
nos erant occupata, reparatis, continuo expeditionem  
indicturum in Turcas, omnesque Christianorum prin-  
cipes, qui ad hanc vsque diem dormitauerunt, simul &  
dormierunt, veluti ex somno Endymionis excitaturum,  
conuocaturumque ad eam perficiendam, vt qui Christi  
vicarii inuictissimi auspiciis profligentur. Etenim si ne-  
mo priorum pontificum æque ac iste magnas res aut  
aggressus sit, aut felicissime gesserit, cur non speremus,  
ipso duce, & hoc futurum? Oremus igitur, vt qui pon-  
tifici maximo Iulio secundo tantæ gerenda rei contulit  
voluntatem, non denegat facultatem. Ceterum felix Spa-  
latina ciuitas patria nostra, cui Bernardus Zane contigit  
archipræsul, qualem & habere iucundissimum est, & ha-  
buisse gloriosum. Vale. Ex Vrbe quinto Idus Maias, mil-  
lesimo quingentesimo duodecimo.

Bernardi Zane Veneti patricii, artium doctoris & sacræ theo-  
logiæ magistri, archipræsulis Spalatensis, oratio habita in  
prima sessione Concilii Lateranensis, præsente Julio secundo  
pontifice optimo maximo.

Solent hi qui coram singulis principibus, priuatisque  
confessibus orationem habent, beatissime ac sacratissime  
pontifex maxime Iuli, loci, temporis ac personarum ra-  
tionem, venerandumque conspectum in sui excusatio-  
nem adducere, si minus concinne, minusve eleganter  
verba facerent, seu in media oratione deficerent. Ego ve-  
ro, qui coram te, hoc est, coram totius orbis principe  
& vero Christi vicario, in excelsissimo humani generis fa-  
stigio posito, coram tot sapientissimis pontificibus, tot do-  
ctissimis prælatis & magistris, tot tantisque principibus,  
ac vt vnico verbo verum fatear, coram toto terrarum orbe

ANNO CHRISTI  
1512. sum verba facturus, non dicam, vt fieri solet, quo me ver-  
tam? sed quo animo, quibus viribus, quo dicendi genere,  
qua demum memoria tantum oneris sustinere, ad finem-  
que perducere valeam, nescio. Ad loci, temporis & perso-  
narum rationem, grauitatem, rarissimum augustinissimum-  
que conspectum, accedit rei de qua dicturus sum, magni-  
tudo, amplitudo & dignitas maxima. Non enim vnum  
dicendi genus sese mihi offert, sed omnia simul: non de  
vnius personæ dignitate vel statu, non de vnius prouincia  
conseruatione, non de terrarum orbe tantum, sed de  
diuinis humanisque rebus, de rerum omnium principe  
& moderatore Deo optimo maximo, de eius vicario summo  
sanctissimoque pontifice, de vtraque ecclesia mili-  
tante & triumphante, de eius firmissimis cardinibus, de  
principibus, de caelo ac terra denique sum verba factu-  
rus. Quæ omnia sicuti ardua sunt, impossibiliaque viden-  
tur vni quamuis consummatissimo ad pronuntiandum ac  
perorandum, ita me recreat & reficit summa benignitas  
sanctitatis tuae, sacratissime pontifex, qui vtpote humanissi-  
mus munificentissimusque, non tam oblatum officium,  
quam animum quo offertur, inspicis & perpendis. Sus-  
cepi igitur a sanctitate tua demandatum munus ea men-  
te, eo animo, vt si ad optatum finem perducere non va-  
luero, intueatur saltem tua beatitudo animi mei prom-  
ptitudinem, desiderium, voluntatem. Ignoscent præter-  
ea omnes hi sapientissimi patres, si ego præ ceteris ad  
munus hoc difficillimum subeundum ab eadem tua bea-  
titudine selectus fuerim, quandoquidem id non incon-  
sulto evenit. Sanctitas enim tua non tam viri doctrinam  
& eruditio nem, qua hi omnes facile præstant, quam sum-  
ma dignitate, vtpote metropolitica, summorumque pon-  
tificum affinitate insignitum, & tuae sanctitati ab ineunte  
pueritia summo studio, obseruantia & deuotione obno-  
xiuum prælegit. Verum quia instabile, insolidum & cadu-  
cum est fundamentum, quod supra firmam petram iactum  
non fuerit, ideo a diuinis auspicabimur, nec dimittendo  
Patrem Filiumque diuinum, Spiritum sanctum, ambo-  
rum nexum, submissa ac reuerenda voce inuocabimus:  
Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple su-  
perna Patris & Filii gratia, quæ tu creasti pectora. Amen.

Concil. Tom. 34.

S ij

140 IULIVS C. LATERANENSIS V. MAXIMILIANVS I.  
P. II. IMP.

ANNO  
CHRISTI  
1512

Salomonis verba initium orationis meæ aptum idoneum-  
que mihi propono , beatissime ac sacratissime pontifex  
maxime , dicentis : *Ad hoc facta est domus tua , ut respicias  
orationem serui tui , & audias preces quas fundit famulus tuus  
coram te , & aperias oculos tuos super domum istam diebus ac no-  
tibus , super locum , in quo pollicitus es , ut inuocaretur nomen  
tuum , & exaudiens orationem quam seruus tuus orat in eo. Ex-  
audi , inquam , orationem meam , imo nostram , summe  
Deus , æterna veritas , vera caritas , & cara æternitas , vni-  
uersi mens : qui quidquid videmus , & quidquid non vi-  
demus , existens , per immensas mundi partes vniuersam  
que naturam commeans , omnibus animantibus vitam  
præstas ; orbem vniuersum quem condidisti , summa ac  
ineffabili prouidentia assidue gubernas , & ita gubernas , vt  
excellentiori quodam modo nos , hoc est rationalem crea-  
turam , quam cetera , ames & conserues. Quam quidem  
amoris & protectionis præstantiam , sacratissime ponti-  
fex , in tribus potissimum licet intueri. Primo equidem  
nos propter nosmet , cetera vero non propter seipsa , sed  
ob rerum naturas & species conseruandas , amat & tue-  
tur. Secundo , ita nobis consulit , vt nosmetipso nobis-  
met consulere permittat : cetera vero ab ipso summo re-  
rum principio reguntur , in finesque proprios diriguntur.  
Tertio demum cetera omnia ad nos , nos item ad seip-  
sum decreuit & ordinavit , tamquam ad finem , quietem ,  
perpetuamque nostram felicitatem , quam baptizatis cre-  
dentibusque repromisit , testibus Marco & Ioanne. Bapti-  
zatis equidem , ob sacramentum ab ipso in Iordanem institu-  
tum , vt veterum macularum sordibus ablutis , nouum ho-  
minem indueremus in Christo Iesu Domino nostro , te-  
stante Apostolo : *Sicut per unius delictum in omnes homines  
in condemnationem , sic per unius iustitiam in omnes homines in  
iustificationem vitæ. Credentibus vero , vt per duodecim ar-  
ticulorum , decemque præceptorum , ac ineffabilis incom-  
prehensibilisque unitatis & Trinitatis diuinæ fidem , tam-  
quam religionis sanctissimæ fundamentum & veritatis vin-  
culum , ad veram sempiternamq; vitam certissime deduce-  
remur , eodem Apostolo constantissime asseuerante , fide  
aptata esse sacula verbo Dei , sine fide impossibile esse Deo  
placere. Oportet enim accendentem ad Deum credere quia est. Cu-**

Rom. 5.

Heb. 11.

Ibidem.

ANNO CHRISTI 1512. ius quidem fidei nostræ præstantiam, excellentiam, dignitatem & veritatem probare nec possum, nec debo. Non equidem possum, quia supra humanam rationem, vtpote diuinitus reuelata, consistit. Non debo, quia nimis elatus, nimisque mihi de me promittens profecto iudicarer, si id probare conarer, quod tot doctissimi & sanctissimi patres per tot annorum curricula firmissime asseuerarunt. Quod item firmissime tenet sanctitas tua, pater beatissime, tamquam caput & dominus: tenent & hi sapientissimi patres, Christianissimi reges & principes, & respublica nostra Veneta, quæ sanguine & vita propria, nedum opibus & diuitiis, per octoginta ferme annos contra immanissimos Turcas fidem ipsam facile comprobauit, quam demum firmissime tenet magna orbis terrarum pars. Sed duo silentio præterire non possum, quæ eamdem fidem nostram stabililiunt & muniunt. Alterum, tot doctissimorum & sanctissimorum patrum conuersio, qui inanes fabulas fallacesque ritus quibus iam assueti & adstricti tenebantur, non dimisissent, nisi eamdem fidem nostram certam, indubitatem & diuinam inspexissent. Et vt ceteros dimittam, ne modum excedat oratio, proponite vobis, patres, Paulum apostolorum principem, electionis vas, humanarum & diuinarum rerum scientissimum, quem Christianam religionem mirifice insequentem vnicula de caelo vox, vt testatur Aetuum caput nonum, ad Christum deduxit. Ipse quoque 2. Cor. 11. testatur, se vsque ad tertium cælum, id est, vsque ad ipsam ineffabilem Trinitatem intuitu contemplandam raptum extitisse, vt & ipsius Trinitatis, & omnium inde pendentium fidem firmissime stabiliret. Proponite & vobis Augustinum Africanum Tagastensi vrbe oriundum, qui Christianæ religionis oppugnator acerrimus Ambrosium doctissimum Mediolani antistitem intuens disputantem, sacram baptismus suscepit e manibus eius, dicentes: Te Deum laudamus: ipsoque Augustino respondente, Te Dominum confitemur. Quem bene & optime confessus est in mille & pluribus excellentissimis & eminentissimis voluminibus, & potissimum in libris Trinitatis, de fide ad Petrum, & Retractionum. Accedit & alterum non minoris efficaciam argumentum. Post Christi veri Domini, Dei, mediatoris, reparatoris & redemptoris nostri nativitatem, passionem,

S iii

resurre<sup>t</sup>ionem & ascensionem , vbi prisca illa inania & va-  
nissima omnia , responfa & oracula ? vbi idolorum templ<sup>a</sup> ?  
vbi vanissimi ritus ? vbi sacris initiati , vel potius profanis  
dehonestati sacerdotes ? Non h<sup>e</sup>c omnia iam in visceribus  
totius humani generis insita & stabilita , non , inquam , h<sup>e</sup>c  
omnia tam facile credere potuissent , nisi firmissimae , con-  
stantissimae ac indubitatissimae veritati , hoc est , orthodoxae  
fidei , catholicæ & apostolicæ disciplinæ , cuius tu , sacratissime  
pontifex , in terris vicarius & caput existis , ac vna cum  
sacris cardinalibus , pontificibus , sacerdotibus , catholicis-  
que principibus ipsam Christi ecclesiam militantem con-  
stituis . Sicut enim humanum corpus ex capite multisque  
membris conficitur ad diuersa naturæ munera obeunda ,  
ita & ecclesia militans ex te sanctissimo pontifice tamquam  
capite , ceterisque Christicolis tamquam membris integratur ,  
testante Apostolo : *Sicut in uno corpore multa membra ha-  
bemus , omnia autem membra non eumdem actum habent ; ita multi  
unum corpus sumus in Christo.* Et alibi : *Sicut enim corpus unum  
est , & membra habet multa ; ita Christus unus est , & in uno  
spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus , siue Iudei ,  
siue gentiles , siue serui , siue liberi : & omnes in uno spiritu po-  
tati sumus.* Huius autem corporis & ecclesiæ sub Christi  
vexillo militantis potestas , libera amplissimaque iurisdi-  
ctio & habentia , tuae sanctitati , sacratissime pontifex , sunt  
demandatae , non quidem per internuntios , siue prophetas ,  
seu apostolos , vel sanctos alios , sed ab ipsa prima veritate  
Iesu Christo vero Domino & Deo nostro , dicente Petro ,  
& in eo omnibus summis pontificibus : *Quodcumque ligaueris  
super terram , erit ligatum & in cælis : & quodcumque solueris ,  
erit solutum.* Et iterum : *Pasce agnos meos , pasce oves meas.*  
Sed quis paetus suauior , quis amabilior , quis decentior a  
tua sanctitate , sacratissime pontifex , in membra & sub-  
ditos tuos potest prouenire , quam vnitas in credendo ,  
credulitas in amando , amor in amplectendo , amplexus in  
perficiendo , perfectio in contemplando catholica , aposto-  
lica , diuina & sanctissima instituta , quibus iurgia remoue-  
buntur , bella sedabuntur , seditiones , prodiciones , periuria ,  
sacrilegia , homicidia , vsuræ , luxuriæ , adulteria , cetera-  
que detestanda humani generis facinora euellentur ; de-  
struentur , & in pacem , fidem , constantiam , fortitudinem ,

Locus mu-  
tilus.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Matth. 16.

Ioan. 21.

ANNO CHRISTI  
1512. modestiam, temperantiam, liberalitatem, iustitiam, ceterasque animi & corporis virtutes commutabuntur? Hic est, inquam, pastus ille, qui nos vera Christi membra, non subdititia; vigorosa, non inania; recta, non obliqua efficiet: qui demum nos de militante deducet ad triumphantem ecclesiam, quam beatissimi nos tam corpore quam animis in beatifica illa & Christi benedicti veri Dei nostri intuitu visione constituemus, vbi felici aeternitate & aeterna felicitate perfruemur. Verum, pater sanctissime, duo sunt, quae nos in militante ecclesia potissimum perturbant, & a triumphante retrahunt & deviant: alterum, dominandi cupiditas, luxuria & ambitio: alterum, & id perniciosissimum, haeresis infidelitasque. Vtrique debet sanctitas tua, debemus & nos omnes totis viribus, toto mentis affectu occurrere, ne vniuersalis ecclesiae status deturperatur, dehonestetur, confundatur. Priori quidem optime consultum erit, si Concilium istud, quo te praesente, pater beatissime, nihil est maius in terris, decreuerit, imperauerit, sanxerit, ut omnes principes finibus suis contenti, magis ultra non progrediantur: vti possident, possideant castra, oppida, vrbes, regiones, quarum possessionem ipsa temporum diuturnitas, nullo interim reclamante, propriam fecit. Quae vero vi, saeuissimis & iniustissimis armis, in oculis maxime tuarum sanctitatis diripuere, dilaniamere, reddant, restituant. Sic dominandi cupiditas cessabit, sic sanguis innoxius puerorum & innocentum non effundetur: sic virginum, matronarum pudicarum, & (proh scelus) etiam Deo dedicatarum honos, pudor, virginitas non corrumpetur, non violabitur, non postergabitur: sic incendia, rapinae & violentiae cessabunt: sic denique Christianus Christiano, fidelis fidi, frater fratri non succensebit, non comminabitur, non insidiabitur. Haec sunt, beatissime ac sacratissime pontifex, amplissimi & sapientissimi patres, quae vobis, celeberrimo augustissimoque confessui vestro supplicant, quae a vobis auxilium expostulant, quae quotidie sine intermissione proclaimant: Succurre, pater sanctissime, succurre orthodoxa & apostolica fides, succurre, inquam, miseris, adiuua pusillanimes, refoue debiles. Detineret me profecto istarum calamitatum prolixior commemoratio, nisi in dicendo mihi modus haben-

dus esset: tum, ne tanta tua audiendi facilitate viderer abu-  
ti, pater beatissime: tum, quia his maiora potioraque me  
expe&ctant & vocant, quæ paucissimis breuissimisque ab-  
soluum. Officit nobis deinde alterum, & nos vniuersalem  
que ecclesiam magnopere perturbat, hæresis infidelitas  
que. Hæresis ab electione dicta, teste diuo Hieronymo,  
plures inducit ad eligendam disciplinam quam meliorem  
existimant, catholicam & apostolicam dimittentes, diuer-  
sos errores seminantes, schisma interponentes: quod quam  
perniciosum & detestabile reperiatur, auctoritate, exem-  
plis ac ratione facile comprobatur. Testis itaque est Au-  
gustinus inquiens: Non dubito catechumenū catholicum,  
diuina caritate flagrantem, hæretico baptizato antepone-  
re. Testis est & diuus Bernardus, afferens, plus nocere fal-  
sum catholicum, quam si verus appareat hæreticus. Testis  
denum est doctissimus & sanctissimus prædecessor tuæ san-  
ctitatis diuus Leo, dicens: Quid autem iniquius est, quam  
impia sapere, & sapientioribus doctioribusque non crede-  
re? In hanc autem insipientiam cadunt, quicumque ad  
cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro,  
non ad propheticas voces, apostolicas literas, euangeli-  
cas auctoritates, sed ad femetipos recurrunt, & ideo ma-  
gistra erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt.  
Perlege Apostolum ad Corinthios: Scissuras esse inter vos  
non laudo. Et infra: Deus temperauit corpus, ut non sit schisma  
in corpore, sed in id ipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et ad  
Timotheū: Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus  
Domini nostri Iesu Christi, superbus est, nihil sciens, & languens circa  
quaestiones & verborum pugnas. Et infra: Profana & vani-  
loquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo  
eorum ut cancer serpit. Deinceps: Vanas & sine disciplina qua-  
estiones deuita, sciens quia generant lites. Secundo loco, exem-  
pla magis mouentia se nobis offerunt. Innocentius ita-  
que tertius Othoni quarto a se primitus coronato, & de  
se deque Romanis ac vniuersali ecclesia pessime merito,  
imperium abstulit. Honorius item tertius Fridericum se-  
cundum ecclesiastica diuinaque instituta peruertentem,  
anathemate notatum, imperiali dignitate priuauit. In-  
nocentius deinde quartus Fridericum tertium, ob eius  
insidias ac pontificum persecutionem, Sicilia Apuliae-  
que

1. Cor. 11.

1. Cor. 12.

1. Tim. 6.

2. Tim. 2.

Ibidem.

ANNO CHRISTI 1512 que regno ac imperio exauctiorauit. Bonifacius octauus Petro & Iacobo Columnensibus cardinalatum, Philippo Gallorum regnum ademit. Ioannes demum XXII. Ludo- uicum Bauariæ ducem, ecclesiæ rebellem ac schismaticum declarauit, sicuti suæ sanctitatis originales plumbatæ literæ ad prædecessorem meum Spalatensem archipræfulem, ac penes me existentes, apertissime demonstrant. Plurima alia schismatis, ac, qui poenæ luerunt, schismaticorum detestabilia exempla præterire me cogit ratio, quæ tertium sibi locum vendicauit. Schisma igitur ab animorum scissura, quæ obduratas mentes auersosque animos ab vniuersalis ecclesiæ unitate seiungit, appellari, nemo est qui ambigat. Vnitas vero ipsa nos, hoc est, Christicolas omnes in apostolica atque catholica ecclesia, ecclesiamque ipsam catholicam & apostolicam in nobis spiritali quodam dilectionis vinculo vnit, coniungit, confirmat. Ipsam autem ecclesiæ unitatem facri doctores in duobus consistere affirmarunt. Primo, in membrorum ecclesiæ, id est, fidelium adiuicem commixtione: se- cundo, in eorumdem ordine ad vnum caput, Christi scilicet vicarium, sanctitatem tuam, sanctissime Iuli, iuxta Apostoli dictum ad Colossenses: *Inflatus sensu carnis suæ, Coloss. 2. & non tenens caput.* Inde merito infertur, necessarioque concluditur, schismaticos illos appellari, qui summo pontifici subesse, membrisque ecclesiæ subiectis communica- re recusant, renuunt, inficiantur. Et quia iure humano atque diuino sanctum est, per ea quemque puniri debe- *Sapient. 6.* re, per quæ peccat, ideo schismaticorum peccato dupli- ci duplex poena debet infligi. Altera, quia a fidelium com- munione se abdicarunt, merito excommunicari, id est, es- se extra fidelium consuetudinem declarari debent. Alte- ra vero, quia ecclesiæ capiti, hoc est, tuæ sanctitati subdi recusant, omni apostolico priuilegio & pontificio priuari promerentur. Quare, sacratissime pontifex, sapientissimi patres, persequimini, euellite, de medio auferte hæ- reticos ac schismaticos; manifestos, manifesta, acri & se- uerissima punitione: occultos, solerti, vigilanti ac dili- gentissima indagatione, ne eueniat quod testatur diuus Hieronymus: & Deus auertat. Arius in Alexandria vna scintilla fuit: sed quoniam statim oppressus non est, eius

Concil. Tom. 34.

T

146 <sup>IULIVS</sup> C. LATERANENSIS V. MAXIMILIANVS I.  
P. II. IMP.

flamma per totum orbem \* populata est. Resecandæ de-  
nique sunt putridæ carnes, & scabiosa ouisa caulis repel-  
lenda, ne tota domus , massa , corpus & pecora ardeant ;  
corrumptantur , putrescant , intereant. Infidelitatis postre-  
mo tres sunt species , teste diuo Thoma , & vt eius ver-  
bis vrar , paganorum , quæ grauis est : Iudæorum , quæ  
grauior : Hæreticorum , quæ grauissima. Cum hæreticos  
præmiserim , ac deliberauerim , Iudæos dimittam , qui ,  
apostolicis & prædecessorum tuæ sanctitatis , Gregorii , A-  
lexandri , Clementis & Innocentii decretis , in sua obstina-  
tione viuere permittuntur , in attestationem nostræ veris-  
fimæ redēptionis , in perpetuam erroris sui detestatio-  
nem , in exemplum denique acerrimæ punitionis. Et quia  
ad id quod magis vrget , & me , imo omnes plurimum  
mouet , orationis nostræ finis se conuertit : dimittam plu-  
res barbaras nationes , quæ sua ac parentum suorum cul-  
pa Christum verum Deum & redemptorem nostrum  
ignorantes , varios nefandosque ritus feruant. Dimittam  
orientales fere omnes , qui potius ferinis quam humanis  
moribus vitam ducunt , & ad id quod ceruicibus no-  
stris imminet , me conuertam. Sed equidem sine maximo  
dolore , sine singultibus , sine lacrymis , nec memorari ,  
nec cogitare , nedum exprimere valeo immanissimam  
Turcarum rabiem & potentiam. Hi , vt optime nouit san-  
ctitas tua , nostis & vos , patres amplissimi , a centum octo-  
ginta ferme annis , hoc est , ab Ottomano primo vsque  
ad \* Pacietem præsentem vndecimum eorum principem ,  
magnam Asiae partem , & eam potiorem , occupauere.  
Deinde Europæ non minorem cum maxima Christiani  
cruoris effusione usurparunt , dilaniarunt , lacerarunt , duo-  
decim imperiis & duodecim regnis usurpati , & quod for-  
midabile est , imperium suum Dalmatiam & Liburniam us-  
que dilatauere , a quo quidem loco ad vrbes tuæ sanctitatis  
Picentinas vnius noctis spatio cōmodissime possunt trans-  
fretari , effrenata gens , immanissima , Christiano nomini ini-  
micissima. Suo enim folidissimo Mahumeto obsequium  
maximum se præstare putat , Christianos inseguendo , di-  
laniando , occidendo. Et ne recenseam calamitates ab ei-  
dem retroactis temporibus nobis illatas , vtpote vobis om-  
nibus notas considerate , patres , præsentes ærumnas Christi

<sup>ANNO</sup>  
<sup>CHRISTI</sup>  
<sup>1511</sup>  
<sup>\* propa-</sup>  
<sup>gata</sup>

ANNO CHRISTI  
1512. fidelium, in quos Turcæ crudelissime desæuiunt : filios a complexu parentum, infantes a matrum vberibus eripiunt, vxores in virorum conspectu violant, virgines e matrum amplexu in hostilem libidinem rapiunt, senes parentes tamquam inutiles in filiorum oculis trucidant, iuuenes sicuti boues aratro iungunt, & terram vomere vertere cogunt. Sed quid pluribus opus est ? Nulla in eis reperitur feminine sexus reuerentia, nulla puerilis ætatis pietas, nulla senectutis miseratio. Hæc a me, sacratissime pontifex, sapientissimi patres, non tamquam audita vellecta, sed certe visa, sunt repetita. Vidi ego oculis propriis, vidi, inquam, eos usque ad suburbia archipræsulatus mei Spalatensis & illius miserrimæ vrbis Spalati, depopulantes omnia, igni ferroque deuastantes, & in miserabilem captiuitatem vtriusque sexus filios tuæ sanctitatis & meos abducentes. Viderunt & hæc in vrbibus suis duodecim suffraganei eiusdem sanctitatis tuæ & mei. Adeo & locupletissimus testis amplissimus totius Hungariæ primus archipræsul Strigoniensis, qui proximis his elapsis diebus, intellecta immanissima eorumdem inuasione in nostrates, Dalmatiæ, Illyriæ, Croatiæ, Pannoniæ, imo totius religionis Christianæ statum amarissime deploratus est. Sæpe, pater sanctissime, & saepius ego ( o me miserum & inficem ) diuinis officiis assistens, coactus sum cappam indumentaque pontificia dimittere, arma sumere, ad vrbis portas percurrere, afflictum populum Spalensem tua apostolica benignitate mihi demandatum solari, animare, & aduersus sanguinem nostrum fitientes assurgere. Misericordia itaque, sanctissime pater & domine, filiorum & seruorum tuorum, affer opem tam dura ferentibus, redime de miserabili seruitute, quos Christus benedictus suo preciosissimo sanguine a perpetua morte liberauit. Misericordia & vos patres amplissimi, nec vos tutos idcirco existimetis, quia mansionem fortasse procul a Turcis fortiti estis. Nemo enim tam remotus est, quin reperiiri queat. Si vicinum qui ante vos proximus est igni, in periculo dimiseritis, dimitti eritis & vos a vicinis qui retro habitant. Tales nos esse oportet in alios, quales illos erga nos cupimus inuenire. Nolite Germani Gallorum auxilia sperare, nisi & vos Hungaris ; nec vos Galli Hispanorum, nisi

Concil. Tom. 34.

T ij

Math. 7.

Germanis opem feratis. *Qua enim mensura mensi eritis, eadem remetietur & vobis.* Nec putet sanctitas tua, pater beatissime, vosque patres amplissimi, Turcas esse insuperabiles. Vinci possunt, & saepius victi sunt. Multitudinem qua potissimum vincunt, inermem ducunt, confisi perniciemis equis. Adde plurimos eorum subditos esse Christianos, Christianamque religionem ardenter amplecti, qui anhelanti ore sanctitatis tuae aduentum, auxilium, redemptionem, & e miserabili seruitute liberationem expectant. Scio ego, & certissime mihi promitto, (modo ceteri principes non deficiant, prout deficere non debent, si veri sunt Christiani, ut cupiunt appellari) sanctitas tua non deerit, quin tanto imminentि periculo & presentaneo morbo occurrat. Noui enim ego, imo totus orbis nouit, sacratissime pontifex, animi tui fidem, fortitudinem, sapientiam, liberalitatem, magnitudinem, qua tum in ceteris, tum in Dei ecclesia catholica & apostolica defendenda, augenda & conseruanda semper vobis es. In hoc etiam defensionis genere quam necessario, scio & certissime vobis promitto, sapientissimi patres, quod sanctitatis suae non maximus labor fidem, non formidolosum periculum fortitudinem, non denique expectata (quod absit) egestas liberalitatem extinguere poterit, quin sanctitas sua humani generis maximam partem fide redimat, fidei inimicos fortitudine expellat, Christi ecclesiam liberalitate amplificet. *Quare, plenissime & misericordissime Deus,* de excelso sancto tuo angustias nostras aspice. Nostri enim, quod praeter nominis tui gloriam, & dominici gregis salutem, nil aliud querit vox nostra. Memento Domine Iesu Christe, quod diuno Petro & successoribus eius regni celorum claves tradidisti. Ecce adeo diu Petri successor Iulius, auctoritate non minor, vicarius tuus. Respice ad preces sanctitatis suae & nostras, & exaudi nos de celso folio tuo. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae.* Adiuua nos Deus salutaris noster, propter gloriam nominis tui, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Respice benignis oculis super populum tuum. Da felicem cursum coeptis nostris, ut tandem reformata, aucta & stabilita ecclesia tua, maiestati tuae laudes gloriose cantemus, tibi perpetuo seruiamus, & omnis ter-

Psalm. 78.

ANNO  
CHRISTI  
1512. ra, vna cum vicario tuo , patre & domino nostro Iulio,  
summo sanctissimoque pontifice, adoret te , & nomini tuo  
psallat in sacula saeculorum. Amen.

S E S S I O II.

DIE Lunæ , septima supradicti mensis Maii fuit secunda sessio in supradicto loco. In qua fuerunt præsentes infra scripti reuerendissimi domini cardinales , patriarchæ , archiepiscopi , episcopi , abbates , magistri generales ordinum , oratores principum , & alii illustrissimi domini , videlicet :

*Episcopi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.  
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.  
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.  
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

*Presbyteri cardinales.*

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus , Strigoniensis .  
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscae , de Flisco .  
Reuerendissimus dominus Robertus tituli sanctæ Anastasie , Nantensis .  
Reuerendissimus dominus Leonardus tituli sanctæ Susannæ , Agenensis .  
Reuerendissimus dominus Christophorus tituli sanctæ Praxedis , Anglicus .  
Reuerendissimus dominus Antonius tituli sancti Vitalis , Sipontinus .  
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii , Anconitanus .  
Reuerendissimus dominus Achilles tituli sancti Sixti , Bononensis .  
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli sanctæ Sabinæ , de Saulis .

*Diaconi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii , Farnesius .  
Reuerendissimus dominus Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin , de Aragonia .  
Reuerendissimus dominus Alphonsus sancti Theodori , Senensis .